



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

VI. Marnas Gazensium Deus, idem ac Moses.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Joseph. libr. 1.
contra Apion.

liberis aliquando fuisse imposita, probari potest ex Josepho, qui ait Sethonem dictum fuisse Ramessem, de nomine patris Rhampse. Cum autem Mosem Thermuthis adoptasset, à casu quo ex aquis extractus est, Mosem dixit; de patris vero sui, suoque adeo nomine, Thammuz ipsi nomen fecisse suspicari possum. Sin potior videtur eorum sententia qui *Thermuthidis* nomen, *Aspidem* exponunt: (Aspidem enim, ut Deum, colebant Ægyptii, & de Deorum suorum nominibus sibi nomina saepe numero faciebant) non valde equidem repugnabo: constet modo probabile videri nomen *Thamuz* de nomine *Themoscos* factum esse.

Ἰησοῦς
fuit Mosēs.

Vajicr. tabb.
Sect. 1.
Clem. Alex.
Strom. 1.

Maneth. &
Chaz. apud Jo-
seph. libr. 1.
contra Apion.
Aben Ezer. in
Exod. 2.

V. Discimus porro ex libro De vita & morte Mosi, quem edidit Gaulminus, singulos propemodum ipsius agnatos & affines nomina ei indidisse, & à patre quidem vocatum fuisse Chabar; à matre, Jechotiel; ab avita, quam ait observasse infantem in Nilo expositum, vel sorore potius, Jared; ab Aarone, Abizannach; à Caatho, Abigedur; à nutrice, Abizuco; ab Israëlitis, Schemaja. R. Eliezer in Pirke scribit Mosem à parentibus nominatum fuisse Jechotiel, quo die circumcisus est; & præterea propter elegantiam, משה, esse dictum. Alii Ebrais Magistris placet decem ipsum nomina gessisse. Clemens Alexandrinus ab Amramo patre, cum circumcideretur, Joachimum nuncupatum fuisse ait; Melchi vero in cælo, postquam illic evectus est, juxta Mystarum doctrinam. Olsariphum ab Osiridis nomine Ægyptii dixerunt, ut ait Manethos; Tifichen, ut Charemon. Admosin & Tethmosin, atque item Melchiam dictum fuisse narrat Cedrenus: quod postremum nomen agnoscunt etiam Pseudo-Eustathius in Hexaëmeron, & Georgius Syncellus. Auctor libri de agricultura, ex Ægyptia lingua in Arabicam conversi, quem citat Aben Ezra, scribit Mosem Ægyptiæ Monios fuisse appellatum; cujus vocabuli originem infra quaeremus. Alpha præterea nomen fuisse Mosi, quod vitiligine laboraret, quæ ἀλφός Græce appellatur, Ptolemæus Chennus, & Helladius Belantinus mentiuntur; cuius ineptiæ testem hic Philonem citat: otiosorum Græculorum figmentum, Judicæ religionis auctorem ita suggillantium, supra jam à me castigatum. Ipsi etiam Thermuthidis, quæ Mosi nomina fecit, non unum nomen fuit. Phareis & Pharia appellatur à Georgiis, Syncello, & Cedreno, nomine patronymico, quod à Pharaone, vel à Pharo, Poëta, ut videtur, deflexerunt, & ut proprium Georgius uterque accepit. Bathja dicitur R. Eliezer in Pirke, hoc est, Dei filia, Merrin & Merrhinam nominat Artapanus. Muthidem alicubi Cedrenus appellat, sed voce, ut opinor, à librariis corrupta ex Thermuthidis nomine, quod filia huic Pharaonis alibi tribuit.

Artap. apud
Euseb. Præp.
Evang. libr. 9.

Marnas Ga-
zensum
Deus idem
ac Mosēs.

VI. Locum hic sibi postulare Marnas Gazensium Deus, quem Jovem Crentensem esse docet Stephanus: hunc quippe non alium esse quam Mosem rationes evincunt necessariae. Verum de eo opportunius infra disseremus.

CAPUT QUARTUM.

I. *Moses ab Ægyptiis inter Deos relatus.* II. *Theuth, sive Mercurius idem ac Mosēs.* III. *Ostris, sive Bacchus idem ac Mosēs.* IV. *Apis & Mnævis iidem ac Mosēs.* V. *Serapis idem ac Mosēs.* VI. *Orus idem ac Mosēs.* VII. *Anubis idem ac Mosēs.* VIII. *Vulcanus idem ac Mosēs.* IX. *Typhon idem ac Mosēs.* X. *Probatur Veterum testimoniis Mosem ab Ægyptiis Deum fuisse habitum.* XI. *Refellitur Simplicius Mosaicæ doctrinæ originem ad Ægyptios referens.*

Mosēs ab
Ægyptiis in-
ter Deos re-
latus.

I. **I**N Ægyptiorum quoque Theologia multiplex apparet Mosaicæ doctrinæ vestigium. Imo, Mosem ipsum, quem mira apud se patrassè, & Regis sui impietatem ac contumaciam egregie ultum esse, & summas deinde res in Arabia desertis gessisse acceperant, majorum suorum edocti damnis, & edomita tandem supremo fine invidia, divinis honoribus consecrarunt; credula quippe gens, & ad idolorum cultum proclivis, & in Deos referre solita quæ sibi commoda essent, vel noxia. Paucis id demonstrare operæpretium est.

Theuth, sive
Mercurius
idem ac Mo-
sēs.
Plat. in Phædr.

II. Inter Ægyptiorum Deos celebrabatur imprimis Mercurius, Theuth ab iis dictus, ut est apud Platonem; vel Thoyth, ut apud Ciceronem, & Martianum Capellam, qui ex ἰσομήθεια, hoc est arithmetico literarum vocabuli hujus valore, per eam artem, quam Gematriam Rabbini appellant, collecto mira quædam comminif-